

1718.9
S. D. G.
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,
DE

JURE JURANDO LITIS DECISORIO JUDICIALI,

QVAM
DIVINA AUXILIANTE GRATIA,

ET
AMPLISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ,
IN ILLUSTRI AC PERANTIQA ACADEMIA ELE-
CTORALI GERANA AUTORITATE ET CONSENSU,

SUB PRÆSIDIO

VIRI PRÆNOBILISSIMI ET CONSULTISSIMI

DN. JOHANNIS HENRICI MEIERI,

JCTI,

ET ELECTORAT. HUJATIS REGIM. CONSILIARII, JUDICII PROVINCIALI
ASSESSORIS PRIMARII, PROFESSOR. PUBL. DECRETALIUM, NEC NON
FACULT. JURID. SENIORIS ET P. T. DECANI,

DOMINI PROMOTORIS OMNI OBSERVANTIA DEVENERANDI,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE
HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

RITE CONSECVENDI,

CHRISTOPH FRIEDRICH CHEMNITIUS,

LÜBNIZENS. SAXO,

ET JUR. PRACT. BELZIGIENSIS,


PUBLICÆ AC SOLENNI ERUDITORUM DISCEPTATIONI,

In Auditorio JCTorum Majori exponet,

AD DIEM XXV. FEBRUAR. ANNO M DCC XVIII.

HORIS CONSVETIS.

ERFORDIÆ, Typis JOH. HENRICI GROSCHII, Acad. Typogr.



53 (3) 80



I. N. D. N. J. C.

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS:

DE

JUREJURANDO LITIS DECISORIO
JUDICIALI.

Thesis I.

Um secundum Pauli JCti effatum
in L. 25. ff. de Liberat. leg. plenius
& saepius attingenda sint, quæ
quotidiana sunt, actum agere
non videbor, quod præsentem
juris articulum DE JUREJU-
RANDO LITIS DECISORIO
JUDICIALI, pro Inauguralis Dissertationis themate
elaborandum suscepimus; Tametsi enim hæc mate-
ria infinitis penè JCtorum & Interpretum scriptis ita
sit illustrata, ut nihil in eis ferè desiderari possit, ob
insignem tamen, quam forenses inter disceptationes
quotidie præstat, utilitatem, ad proponendum hoc
argumentum motus fui; Neque enim ulla prope lis
est, in qua juramentum hoc sibi locum non vindicet,

*Utilitas ja-
ramenti litis
decisorii ju-
dicialis.*

A 2

cet,

cet, neque id mirum; Nam authore Gajo Jcto in L. 1. ff. de jurejur. maximum remedium expediendarum litium in usum venit jurisjurandi religio, ut veritas, quæ humano ingenio erui non potest, ad DEUM rerum omnium conscientiam referatur, eoque teste & judice obscura & dubia explicitur. Wese nec. ad ff. d. 1. n. 4.

Thesis II.

Juramenti Etymologia. Jusjurandum autem, quod alio nomine juramentum & subinde Sacramentum, L. 12. C. de reb. credit, item religio appellatur in L. 24. & 25. ff. de jurej. primam originem trahit à *jure* & *jurando*, quasi id super quo juratur, juris instar obliget, & ad præstationem adstringat, vel quia id, quod Divino firmiter testimonio, quasi jure suo pro vero habendum fit, & inviolabiliter servandum, L. 2. C. de reb. Credum Deus testis sit infallibilis. Covarr. in Cap. quamvis. de pact. in sto in princ. n. 3. Zæs. ad ff. de jurejura. n. 1.

Thesis III.

Definitio iurisjurandi in genere. In definiendo juramento in genere non satis convenient Interpretes, quorum tamen dissensum in concordiam facile redigi posse existimo, si inter gentium & Christianorum usum distinxerimus, ex usu enim gentium, cum Cicerone L. 3. offie. C. 29. rectè definitur, quod sit *affirmatio religiosa*. Nam quoties aliquid promitto vel affero adiectâ mentione rei mihi sacræ, sanctæ vel religiosæ, & ejus metu à violatione fidei vel veritatis deterreri possum, toties in genere ex moribus gentium dicitur juramentum, & hoc

hoc æque per DEUM ac per creaturas fieri potest,
 ut etiam constat ex textibus juris Romani, in quibus
 de juramentis per DEUM, genium Principis, salutem
 liberorum, vel propriam, aut per animam fit mentio.
*L. 2. C. de reb. credit. L. 3. 4. & s. L. 13. §. fin. f. de jure-
 jur.* Nam qui per Principem jurat, in casum vio-
 latæ fidei Principis vindictam implorat, qui per sa-
 lutem liberorum, precatur hoc ipso, ut filii male sit,
 & ut privetur eorum solatio; qui per animam, pre-
 catur ut animæ, cuius cura homini maximè religio-
 sa esse debet, male sit. Verum cum in foris nostris
 porissimum ex usu Christianorum pro juramento
 propriè tali non habeatur, quod extra nomen DEI
 præstatur, inde juxta hunc morem non aliter defini-
 tur, quam quod sit enunciatio cum Divino testimo-
 nio prolatæ. Zæf. ad ff. d. t. rro. 1. vel plenius dici pote-
 rit, quod sit actus religiosus, quod quis in alicujus enun-
 ciationis majorem fidem DEUM tanquam ultorem perfidie
 invocat. Lauterbach. Colleg. Theor. pract. §. 3. d. t.
 sive ut Struvius S. I.C. Exerc. X. Th. 2. ait: est reli-
 giosa alicujus rei adseveratio per invocationem DEI
 in testem.

Thesis IV.

Postularet nunc ordo, jusjurandum, quod in
 suo conceptu universali & summario perlustravimus,
 etiam in speciebus, quarum non minimus se se un-
 dique offert numerus, juxta divisionis regulas, la-
 tius examinare, verum quia res ista in angustis his-
 ce pagellis, ad quas præsentem dissertationem con-
 stringere animus est, neutiquam comprehendi po-

tuit, & ab instituti ratione nimium quantum evagari necesse fuisset, inde reliquis juramentorum speciebus aliisque quæstionibus præliminaribus, de quibus Interpretes communiter ad Tit. de jurejur. X. it. ff. & Cod. de reb. credit, fusi agunt, nunc prætermisso, ut proprius ad scopum propositum accedam, ad illud q̄od in specie Juramentum litis decisorium nuncupari consuevit, transitum facio.

Thesis V.

Definitio & divisio juris-jurandi litis decisorii in specie. Est autem juramentum litis decisorium in gene-

re, quo quis directo litis decidendæ causa intentio- nem suam veram esse asseverat. L. 1. ff. de jurejur. Aliud defertur à judice propter inopiam probatio- nis L. 3. C. de reb. cred. in causis dubiis. L. 31. ff. de ju- rejur. quod necessarium & suppletorium audit, cum scilicet judex illud, uni ex litigatoribus ad imperfe- ctam intentionis suæ probationem confirmandam & supplendam defert. Vinn. Lib. 1. scđ. quæst. Cap. 43. aliud defertur à partibus vel extra judicium vel in judicio, Bachov. ad Treut. V. 1. D. 21. tb. 6. illud vocatur voluntarium, rubr. ff. d. t. sive conventionale, quia per modum conventionis à parte, parti extra judicium defertur & suscipitur, sub ea conditione, quod deferens velit ab ulteriori processu abstinere, & jura- mento stare, si præstiterit. L. 17. princ. ff. d. t. Hoc in specie dicitur *Juramentum litis decisorium judiciale*, quod scilicet à parte parti in judicio, judice comprobante, directo litis decidendæ gratia defertur, L. 12. pr. & §. 1. Cod. de reb. cred. nominatur autem judiciale, tum à loco, in quo defertur, tum à judice, qui delatum approbat,

approbat, & eum cui delatum est, vel jurare, vel referre, vel solvere cogit. L. 34 §. 6 & 7. ff. de jurejur. Et vindicat sibi plerumque locum, quando in emer- genti controversia facti cujusdam aut causæ dubiæ probatio requiritur, de quo intra in dissertationis Thes. pluribus agetur.

Thesis VI.

Illud tamen hic obiter inquirendum, utrum *utrum ju-*
juramentum judiciale inter probationis species collo-
candum sit? Negativam amplectitur. Hunn. ad Tr. ^{judiciale sit} Vol. 2. disp. 4. th. 1. lit. F. ex L. 30. & 31. ff. de jurejur. Ve-
rum et si juramentum certo respectu à natura alia-
rum probationum deflecat, aliæ enim probationes
ab eo peragendæ & præstandæ, cui onus probandi
incumbit, juramentum autem non is, cui probatio
incumbit, sed alter cui desertur præstat, & exinde
ab effectu aliarum probationum in nonnullis dege-
nerat, quod patet ex decisione d. Legi 30. princ ff. de
jurejur. quatenus tamen ex ratione juris onus hoc
modo probandi alteri imponere licet, juramentum
probationis species non male appellatur. vid. Bachov.
ad Tr. V. 2. disp. 4. Th. 1. lit. F. unde de jure communi
verissimum est, posse actorem, cui etiam per sen-
tentiam probatio injuncta, ad juramenti delationem
confugere. Mev. Part. 4. Dec. 6. Stryk. Introduc. ad
Prax. forens. Cap. 20. §. 1.

Thesis VII.

Causa efficiens jurisjurandi judicialis vel remo-
ta vel proxima est; Remota est jus prætorium, de
hoc siquidem iurejurando vel maxime conceptum
videtur *xima.*

Causa effi-
ciens juris-
jurandi ju-
dicialis re-
mota & pro-
xima.

videtur prætoris Edictum de jurando , ita namque verba Edicti habent : *Si is cum quo agetur conditione delata juraverit. L. 3. pr. ff. de jurejur. L. 34. §. 6. ff. cod.* Proxima estis, qui hoc jusjurandum defert, & is cui defertur, quive delatum præstat. Deferre autem juramentum judiciale potest non Actor duntaxat, sed & Reus, qui de re controversa disponendi & transfigendi habent potestatem, facultas enim deferendi hoc juramentum , dependet ex libertate res suas administrandi. Zanger. *de Except. p. 3. C. 16. n. 37. & seqq.* hinc in specie deferre potest hoc juramentum Dominus habens rerum suarum administrationem , item tutor & Curator deficientibus aliis probationibus, postulante pupilli utilitate *L. 35. ff. d. t. imo & procurator poterit , si scilicet aut universorum bonorum administrationem sustineat , aut si id ipsum nominatum mandatum sit , aut si in rem suam procurator sit , L. 17. §. f. ff. cod. alias non potest. L. 18. & 19. ff. cod.* Econtra juramentum hoc deferre non potest pupillus sine tutoris autoritate , minor , prodigus , furiosus , mente captus & similes , sine curatorum consensu , quia rerum suarum & in lite disponendi arbitrium non habent, *L. 35. §. 1. ff. d. t. illud etiam speciale est jure Saxonico , quod mulier ibidem per se juramentum judiciale deferre nequeat , nisi id fiat cum authoritate curatoris in litem ; Et licet alias tutori vel curatori minoris id non sit prohibatum de jure communi , ut supra dictum , Curator tamen mulieris ad litem in foro saxonico solus illud deferre non potest. Carpzov. P. 1. *Const. 12. def. 38.**

Thesis IX.

Illud inter DD. controverti video, an etiam Actor, qui penitus nihil probavit, hoc juramentum judiciale reo deferre possit? Et quanquam in foro Saxonico licere, dubium non superfit, eo quod jure manifesto sanctum reperiatur: *Ord. Proc. jud. Elekt. Saxon. tit. 18. in princ. vers.* Wenn er gleich keinen Schein re. de jure tamen Romano non omnes hac in parte consentiunt; Mihi tamen verissimum videtur in praesenti quæstione, jus commune à jure Saxonico non discrepare, & juramentum omnino ab eo, qui nihil adhuc probavit, deferri posse, tum quia id exigit litium dirimendarum favor, tum quia quod conqueratur, adversarius non habet, qui in propria causa judex constituitur; pro hac sententia etiam est textus manifestus in *L. 35. pr. ff. de jurejur.* ubi tutor omnibus aliis probationibus deficientibus deferens juramentum, dicitur audiendus. *item L. fin. Cod. de fideicommiss.* ubi nulla præmissa probatione juramentum tamen rectè defertur. Hartm. Pistor *part. 4. q. 13. n. 1. § 16.* Wesenbec. *in parat. ff. de jurejurand.* n. 9. Zæs. *ibid. n. 34.* Carpzov. *p. 1. c. 12. def. 2.* & plures *ibid.* allegati. Dissentunt tamen alii & negativam tenent, inter quos præter citatos apud Carpzov. *d. l.* sunt Mascard. *de probat.* Vol. 2. *Conclus.* 957. no. 7. Menoch. *de presumption.* q. 81. no. 2. Bart. Bald. & Salicet. in *L. 3. Cod. de rebus cred.* & plures alii. Fundant autem Negativam suam potissimum in *L. 4. Cod. de edend.* ex qua deducitur hæc regula, quod actore non probante reus sit absolvendus, et si nihil præstiterit, ut et-

*Actor, qui
nihil proba-
vit, id deser-
re potest.*

iam videatur absolvendus , etsi non juraverit . Verum respondeatur , actorem satis probare hoc ipso , dum juramentum defert , nam ea delatio actori ita tributa , ut si adversarius sine causa recusaverit praestare , statim ea res cedat pro justa probatione . Praejudicia hanc in rem videantur apud *Carpz. dicit. Definit.* 2.

Thesis IX.

Actor probationem cœptam deserre , & ad juramentum confugere potest.

Illud etiam passim obtinuit , posse Actorem ut aliam probationem jam suscepere , eam deserre , & ad juramenti delationem confugere , unde Dn. Stryk. in *Introd. ad Prax. C. 20. §. 2.* cautelam pro actore tradit , ut si subolfecerit , testes pro ipso non deposuisse , protestetur contra attestatorum publicationem & reo deferat jusjurandum ; atque ita quoque decidit Mevius *P. 4. Dec. 5.* pro qua opinione elegantissimum deduci potest argumentum ex *L. u. Cod. de reb. cred. à contrario sensu* , eō ipso enim , dum eō tantum in casu , quo delato semel juramento & revocato , actor alias probationes in se suscepit , ei recursus ad delationem juramenti semel revocati denegatur , fortissimè inde evincitur , hoc ipsi in alio casu concessum esse , ubi nimirum ab initio statim alias probationes aggressus fuerat , Cum inclusio unius sit exclusio alterius . consentiunt Zœf. ad ff. de jurejur. n. 35. & 36. Bachov. Vol. 1. D. 21. Th. 9. lit. C. vers. imo etiam si . Verum hæc practica Jure Saxonico non procedit , postquam ibi receptum , ut si quis hoc juramento uti velit , illud in principio litis sive ante item contestatam ac praestitam guaran-

Sed non jure Saxon.

guarandam deferre debeat, adeò ut si alterutrum ex his factum, via ad juramentum sit præclusa, per Ord. Proc. Jud. tit. 18. in Princ. Hartm. Pistor. Part. 4. q. 22. n. 7. in tantum ut nec ipsi pro sit protestatio, nec reservatio juramenti hoc casu aliquid operetur; Licit alias de jure communi tam in principio quam in medio litis & ulterius juramentum licite deferatur. L. 12. pr. C. de reb. cred. § jurejurand. Czy. P. t. Const. 22. def. 1.

Thesis X.

Utut autem jure communi actori alias probato-
nes cœptas deserere, & ad juramentum recurrere, nec
non jure saxonico ante litis contestationem illud de-
ferre liceat, ad alias tamen probationes sese offerre
& simul juramentum exigere, adeoque modo utro-
que delatione nempe juramenti & probatione alia, si-
mul & conjunctim experiri, actori neutro jure con-
cessum est, quod tamen limitandum, si libellus diver-
sos & distinctos contineat articulos, quin enim tunc
super uno deferre liceat juramentum, etiamsi super
aliis alia suscipiatur probatio, dubitandum non est.
Carpzov. d. Const. 12. def. 29. § Proc. Tit. ii art. i. n. 30.
Hoc dictum de Actore, quod post litem contesta-
tam ei delatio juramenti jure Saxonico non compe-
tit, ad reum non pertinet, nam ei tam de jure com-
muni quam Saxon. etiam post litem contestatam su-
per exceptionibus permissa est juramenti delatio,
Zanger. de Except P. 2. C 21 n. 74. Berlich P. i. C. 29. n. 61.
quod tamen iterum de jure Saxon. limitat Carpzov.
process. tit. ii. art. i. n. 48. § p. 1. C. 12. def. 33.

B 2

*Actor non
potest super
eodem arti-
culo jura-
mentum de-
ferre, & alias
simil proba-
tiones offer-
re.*

Thesis XI.

*Infamis &
perjurus non
potest deferre
juramentum
judiciale.*

Utrum vero infamis vel perjurus alicui juramentum judiciale deferre possit? non sine controver-
sia relinquitur; Affirmativam amplexi sunt Bachov.
V. 1. D. 21. Th. 9. lt. a. Franzk. ad ff. de jurejurand. n. 18.

Lauterbach. *Colleg. Theor. præf. eod. tit. §. 63.* & in
Compend. ibid. Brunnemann. de Proc. Civ. C. 23. n. 4.

Mart. *Proc. tit. 18. a. 1. n. 21.* & plures ab his relati.

Verius tamen mihi videtur contrarium, talem scilicet infamem vel perjurum juramentum deferre non posse. Ratio est, quia Prætor delationem juramenti permittit sub conditione referendi, *L. 34. §. 7. ff. de jurejur. nec præcisè cogit eum, cui delatum est, jurare,* quia jus referendi habet; Atqui infami & perjuro referri non potest, quia tales ad jurandum non admittuntur, ergo nec deferre possunt, quia alias suo scelere & delicto, alteri, cui juramentum deferunt, jus ex lege quæsitum auferrent, quod jura neutiquam permittunt. Nec obstat dissentientium argumen-

tum, quod relationis impedimentum non statim impedit delationem, exemplo *L. 11. §. fin. ff. de act. rer. amor.* & quod multi dentur casus, ubi juramentum

licitè defertur, & tamen referri nequit. Nam Responsum id esse, si impedimentum relationis se non teneat ex parte delicti alterius, secus autem, si propter delictum deferentis referri nequeat, ne alias factio & delicto alterius, conditio alicujus deterior redatur & jus quæsitum auferatur. Atque hæc sententia præter alios defensores habet Carpzov. *P. 1. C. 14. Def. 6. & Process. tit. 11. art. 1. n. 87.* Setser. *L. 4. C. 8.*

Ratio.

Objectio.

Responsio.

C. 8. n. 12. Struv. Exerc. 17. thes. 35. in fin. illud tam
en exinde sponte sequi videtur, infamem & perju-
rum iis in casibus, quibus relatio cessat, juramentum
deferre posse, præsertim cum ibi decisionis nostræ
ratio cœset, nec relatio facto alterius impediatur.
Coccej. in jur. Controvers. de jurejurand. qu. 33. in fin.

Thesis XII.

Videndum nunc, quibus jusjurandum ju- *Cui jura-*
diciale deferri possit; Et quidem in genere deferri *mentum ju-*
potest omnibus, cum quibus est controversia, qui ali- *dicial, defer-*
quem rei controversæ intellectum habent, cujuscun- *ri possit.*
que sint sexus, ætatis aut conditionis, L. 20. §^o sequ.
ff. de jurejur. adeò ut pupillis etiam deferri possit, L. 26. *Etiam pu-*
ff. cod. quia sibi imputare debet, qui à religione pue- *pillis deferri*
rili jus suum suspendit. Nec obstat, quod in L. 34. *potest, sùb di-*
§. 2. ff. cod. dicatur, pupillo non deferri jusjurandum. *sunctione ta-*
men.
Nam respondet cum Carpzoy. P. 1. Conſt. 12. Def. 42.
& Hubero in pos. contr. ad ff. de jurejur. §. 16. hoc in-
telligendum esse, quod ipsi deferri non possit jus-
jurandum ad hunc scilicet effectum, ut vel jurare vel
referre cogatur, si enim de facto illud volens susce-
perit ac juraverit, custodiri debet jusjurandum. d.
l. 26. ff. de jurejur. Quæ explicatio d. L. obstantis 34.
§. 2. ff. cod. quanquam non placeat Dno Thomasio in
Schol. suis ad Huberum d. l. eo quod in L. 4. pr. ff. de in-
lit. jur. expressè dicatur, pupillum nec volentem ad
juramentum admitti; Nescio tamen, an non injuri-
am hic Thomasius Hubero faciat. Nam d. L. 4. lo-
quitur de jurejurando in item, cuius longè alia est ra-
tio, quam jurisjurandi judicialis à parte parti delati, de

quo hoc loco quæritur; Jusjurandum enim in litem defertur à judice & præstatur contrà invitum, unde merito ab eo pupillus repellitur; Alterum autem juramentum defertur à parte ex liberâ voluntate & præstatur contra volenter, sibi imputaturum, quod stultus causæ suæ decisionem pupilli arbitrio commiserit. Quod rectè observavit Excellentissimus Dnus Bergerus in Lectionibus suis privat. ad Huberum d. l.

Thesis XIII.

Si pupillo delatum sit, ex pectatur usque ad annos pubertatis. Cùm dictum sit in thesi præcedenti, pupillum, cui delatum sit juramentum ad id præstandum cogi posse, videri posset delationem talem pupillo factam inutilem esse, eo quod vis juramenti judicialis in eo consistat, ut is à quo exigitur, jurare cogatur, L. 34. §. 5. ff. de jurejur. verum res ita se habet, quando pupillo juramentum defertur, is vel suscipere, vel referre vel conscientiam suam probationibus defendere cogitur, ita tamen, ut, si suscipere velit, ad ejus præstationem ante annos pubertatis non compellatur; Tantis per ergo differenda est præstatio juramenti, donec is, cui defertur juramentum, pubes factus fuerit; Nam nec tutores, ut nomine pupilli jurent, cogendi sunt. Carpzv. P. 1. C. 12. def. 42. Quanquam jure communi, si adversarius consentiat, volentes ad jurandum admitti posse videantur, arg. L. 4. ff. de in lit. jur. L. 9 §. 6. L. ult. §. 2. ff. de jurejuran-
do. ex quibus textibus patet etiam per procuratorem volente adversario ad jurandum admittitur, præstari posse, si ei ab adversario deferatur; Nam alias non solum jure Saxonico, utpote ubi nullum nequidem calumniæ juramentum per procuratorem qualique cunque

cunque etiam mandato instructus sit, licet præstatut, *sicut eo in-*
per Ord. proc. tit. 18. §. 10 adeo ut nec personas illustres vito.
 hic exceptas velit Czv. proc. tit. 11. art. 22. n. 33. § P. 1.
C. 12. def. 39. excepto saltem juramento fidelitatis &
homagii. Berlich. P. 1. concl. 34 n. 26 & seq. Verum
etiam jure communi per procuratorem juramentum
Litis decisorum præstari non potest, quia jusjurandum
est quid personalissimum, cuiusmodi quæ sunt,
per inter medium personam præstari nequeunt. L. 12
§. 4. C. de R. C. Stryk. Uf. mod. de jurejur. §. 27.

Thesis XIV.

Formula seu modus sub quo desertur jusjurandum *Duplex est*
judiciale duplex est; Primus, quo res controver-
sa committitur alicujus conscientiæ tantum: Wenn
die Klage ihm allein ins Gewissen geschoben wird ic. secun-
dus est, quo factum controversum committitur ali-
cujus conscientiæ, notitiæ & scientiæ simul: Wenn
ihm die Klage nicht allein ins Gewissen / sondern auch in
seine Wissenschaft und Wohlbewust gestellet wird. Quæ
distinctio effectu non caret, priori siquidem casu de
veritate juratur, & consequenter locum tantum ha-
bet in factis propriis, de quorum veritate præcisè hic
jurandum, scilicet quod certò sciat, rem ita se habe-
re; Neque tunc etiam juramentum hoc adversarius
declinare poterit, cum id propriè referatur ad factum
suum, cuius scientiam exactam habere debet. At
posteriori casu juratur duntaxat de credulitate & no-
titia, quod scilicet jurans credat & probabiliter sciat
hoc vel illud verum esse, inde etiam potissimum lo-
cum habet in factis alienis, habet enim jurans facti
alieni

jusjurandum
judiciale de-
serendi mo-
dus.

Ratio hujus
diversi modi.

alieni probabilem ignorantiam, ut propterea soli aliquujus conscientiae factum alienum nequeat committi. (Es kann super facto alieno die Klage ins Gewissen allein nicht geschoben werden) sed de crudelitate jurare sufficiat. L. 11. §. 1. f. rer. amotar. Berlich. P. 1. concl 55. n. 18. Czv. d. C. 12. def. 40. & seq. Lauterbach. Colleg. de jure-jur. §. 66.

Thesis XV.

In quibus causis deferri possit ius-jurandum judiciale. Materia seu objectum jurisjurandi judicialis est res controversa & quidem regulariter nullum est privatæ controversiæ genus quod ad patrimonium spectat, & à cuiusque arbitrio pendet, super quo deferri aut præstari non possit: quacunque enim actione quis conveniatur, si juraverit, proficiet ei iusjurandum sive in personam, sive in rem, sive in factum sive penali actione, vel quavis alia agatur, sive de interdicto. Textus in L. 3. §. 1. & 2. ff. de jurejur. Imo & in causis famosis illud locum habebit, L. 9. §. 2. ff. eod. confer. L. 13. §. 2. L. 28 §. 5. & seq ff. eod. L. 6. §. 4. ff. de his qui not. infam. L. 52. §. 27. ff. defurt. ex quibus Legibus eo minus dubii remanet, condictione furtiva agentem posse reo deferre iuramentum, cessante in condictionibus infamia. L. 36. ff. de O. & A. nec non in causa depositi obdolum depositarii intentata. arg. L. 10. C. de R. C. In Saxonia quidem plerique in famosis causis, ubi dolus arguitur, juramentum non admittunt, Berlich. P. 1. C. 21. n. 57. Carpzv. P. 1. C. 12 d. 31. contrarium tamen posteā recte adstruxit Carpzv. Proc. tit ii. a. 1. n. 38. & p. 3. Dec. 231. Monet tamen Excell. Dn. Bergerus in leđ. privatum. ad Huber. supra citato l. ad n. 19. si in causa famosa

Habet locum in causis famosis. Textus in L. 3. §. 1. & 2. ff. de jurejur. Imo & in causis famosis illud locum habebit, L. 9. §. 2. ff. eod. confer. L. 13. §. 2. L. 28 §. 5. & seq ff. eod. L. 6. §. 4. ff. de his qui not. infam. L. 52. §. 27. ff. defurt. ex quibus Legibus eo minus dubii remanet, condictione furtiva agentem posse reo deferre iuramentum, cessante in condictionibus infamia. L. 36. ff. de O. & A. nec non in causa depositi obdolum depositarii intentata. arg. L. 10. C. de R. C. In Saxonia quidem plerique in famosis causis, ubi dolus arguitur, juramentum non admittunt, Berlich. P. 1. C. 21. n. 57. Carpzv. P. 1. C. 12 d. 31. contrarium tamen posteā recte adstruxit Carpzv. Proc. tit ii. a. 1. n. 38. & p. 3. Dec. 231. Monet tamen Excell. Dn. Bergerus in leđ. privatum. ad Huber. supra citato l. ad n. 19. si in causa famosa

fa

sa alicui deferatur juramentum , eum ab auctore non debere exigere juramentum calumniæ , nam si deferas juravit de calumnia , deinceps à reo ob præstatum juramentum absoluto , eum non posse injuriarum conveniri , id tamen fieri posse , si deferas de calumnia non juraverit .

Thesis XVI.

Unde primum est consequi , etiam in actione injuriarum civiliter ad aestimationem vel recantationem seu palinodiam intentatâ delationem juramenti permitti , L. 5. §. 8. L. 11. §. 1 f. de injur. quia utraque actio civilis est & privata. Ab hac sententia quidem recedit Carpzov. L. 4. Resp. 44. n. 25. ex sequentibus rationibus : (1.) quia licet propriè actio criminalis non sit , tamen cum ad graviorem poenam deveniri possit , propter incertum eventum non male inter causas capitales recenserit indeque juramento locum non esse putat. (2.) quia iniquissimum ipsi videtur , honestum virum ad delationem levissimi hominis jurare vel famæ periculum subire debere , (3.) quia in causis criminalibus probatio luce meridiana clarior requiritur , juramenti autem delatio est tantum subsidiaria & potius probationis exoneratio , eamque sententiam (4.) pluribus authoritatibus adstruit. Verum omnes hæ rationes non tanti sunt momenti , ut ad calculum illis addendum movere quenquam valeant. Nam ad 1.) respondeatur , nulla ratione actionem ad palinodiam criminalem esse , utpote cum ea nequidem agatur ad poenam , sed sit rei persecutoria & agatur ad nudam injuriæ

C

*Etiam in
delatione inju-
riarum de-
ferri potest
juram.*

*Rationes dis-
sentientis
Carpzovii
allegantur
& removen-
tur.*

juriæ recantationem & ad famæ quasi ablatæ restitu-
tionem. Ad 2.) nulla hic subest iniquitas , nam or-
dinem processus absque respectu personæ observare
oportet. Ad 3.) Actionem hanc non pertinere ad
causas criminales. Neque 4.) authoritatibus , sed
legibus hic pugnandum , quanquam nec illæ nostræ
sententiæ defint Excell. Dn. Berger. *ad Compend. Lan-*
terbach. de Jurejur. p. 197. Müller. *ad Struv. eod. t. §. 39.*
Dn. Stryk. *in Uſ. mod. eod. tit. §. 29.* Si vero crima-
liter agatur certum est, delationem juramenti non
habere locum ob rationem *L. ult. C. de probat.*

Thesis XVII.

*In Processu
executivo lo-
cum non ha-
bet juramen-
ti delatio.*

An autem reus ex instrumento guarentigiona-
to & liquido ad recognoscendum conventus , super
exceptione solutionis vel compensationis , apochâ
destitutus , deferre possit juramentum ? in foris Sa-
xoniæ subinde disputatum fuit. Communiter ta-
men ibi negatur , ob rationem , quod delatio jura-
menti sit species probationis ordinariæ , inde impe-
dire non debeat processum executivum , addunt et-
iam hanc rationem , quod per juramenti delationem
probatio non fiat incontinenti , quod tamen in Pro-
cessu executivo necessarium. Carpzov. *Proc. tit. 12.*
art. 4. n. 20. Quamvis autem hæ rationes parum con-
cludant , cum nulla expeditior sit via probandi , quam
si exceptionem adversarii conscientiæ committam ,
nec executio ita sistatur , nisi per solam actoris mo-
ram , hoc juramentum præstare nolentis , attamen
praxis negativa in Saxonia satis confirmata , ut con-
tra illam frustra hodiè disputetur , remittitur proin-
de

de reus cum ejusmodi exceptionibus ad reconven-
tionem. Philippi *ad Decis. Elec̄t. 2. obser. 3.* Nico-
lai *in Proc. Sax. P. 3. C. 12. n. 2.* Carpz. *P. 1. C. 8. d. 15.*
& C. 12. d. 35. & 36. Contrarium de Jure communi-
late defendit Coccej *in Jure Controvers. de Jurejur. q. 34.*

Thesis XIX.

Major & non ignobilis est controversia, num in causis matrimonialibus locus sit delationi juramen-
ti? Vulgatissima sententia statuit, quod quidem de-
latio valeat pro matrimonio, e. g. si tu juraveris, mes-
tibi promisisse matrimonium, ego te in uxorem du-
cam, non vero contra matrimonium, si scilicet spon-
falia neganti juramentum deferatur: Rationem po-
nunt in eo, quod transactio contra matrimonium
non valeat, *C. F. X. de transact. juramentum autem*
vim transactionis habeat. L. 2. ff. de jurejur. Verum
cum magna sit disparitas inter sponsalia & matrimo-
nium; Nam hic conjuges unitatem carnis contra-
ixerunt, ex quo vinculum indissolubile nascitur,
quod transactione contraria tolli nequit; Tale autem
vinculum in sponsalibus non subest, sed potius omne
negotium in mera partium conventione consistit, &
sic dissolutionem non respuit, *Cap. 2. §. 12. X. de spon-
sal.* & quantum est discrimen inter pactum de ven-
dendo & venditionem ipsam, tantum quoque est
inter matrimonium, & sponsalia, utpote quae con-
tinent promissionem nudam de contrahendo aliquan-
do matrimonio; unde non dubito, etiam neganti
promissionem matrimonii contrahendi, deferri posse
juramentum, quae est sententia, Dni. Strykii. *U. C.*

C 2

Mod.

Deferrari pot.
est etiam ju-
ram. qui
negat spon-
salia, fecus,
qui matri-
monium.

Receditur à
communi
opinione,

Mod. de jurejurando §. 30. ubi insimul Elegans facultatis Jurid. Hallens. Responsum hanc decisionem optimè illustrans sequentem in modum refert, quod postea a facultate Jurid. Rostoch. approbatum dicit:

Responsum Facultatis Jurid. Hal. pro no-
stra opinione. Obwohl Kläger der Beklagtin das Juramentum expresse super negativa deferiret/ daß sie ihm die Ehe nicht versprochen/ und also die delatio revera contra matrimonium ist/ in welchen Fall secundum communem D. D.

niemand erlaubt ist/ sich von der einmahl geschlossenen Ehe-Verbindung durch seinen Eyd losz zu würken. Weil aber dennoch solche communis sententia zum Grunde setzt/ quod super matrimonio non valeat transactio , und ein grosser Unterscheid/ an transfigatur super matrimonio contracto , an super sponsalibus vel matrimonio contrahendo; allermassen jenes eine indissolubilitatem ex jure divino mit sich führet/ diese aber per transactionem wohl dissolviret werden können/ und also supposita facultate transigendi die delatio juramenti auch statt finden muß; Hiernechst die Eydes delation ein in rechten vergönnetes Mittel ist / dessen man sich zum Beweiz überall gebrauchen kann / wo nicht die Rechte ein anders deutlich verordnen/ welches aber in materia sponsaliorum sich nirgends findet/ da doch diese causa favorabilis ist und das Herz via probandi mehr zu extendiren als zu restringiren/ welches geschehen würde/ wenn man aus Mangel der Zeugen den Eyd nicht deferiren könnte / wodurch zugleich Gelegenheit gegeben würde / das eheliche Versprechen promiscue ins leugnen zu ziehen / wenn dieses vor eine beständige Regel ausgesetzt bleibe/ daß niemanden der Eyd darüber

über deferiret werden könne / daß er die Ehe nicht versprochen / zu geschweigen daß hierunter zugleich eine delatio Juramenti pro matrimonio tacitè enthalten / indem / wenn Beklagter nicht schweren kann/ daß er die Ehe nicht versprochen/ er ipso factō das matrimonium zugesteht / und obwohl einige hieselbst die gravitatem causæ matrimonialis entgegen sezen/ daß solche der criminali compariret werde/ dennoch diese comparatio nicht absolute , indem auch sonst pro matrimonio kein Eyd deferiret werden könnte / weil ja pro crimine commisso kein juramentum affirmativè zu deferiren erlaubt ist; Zu geschweigen / daß das juramentum purgatorium sowohl in criminalibus als matrimonialibus contra commissum crimen & promissum matrimonium unstreitig zu gelassen wird / und daraus zu gleich folget/ daß die delatio juramenti contra matrimonium an und vor sich nicht ungültig seyn könne ; Darbey auch auf das periculum perjurii nicht zu sehen / weil solches sowohl in dem juramento purgatorio als in dem juramento judiciali pro matrimonio delato sich zutragen kann / indem ein leichtsinniges Gemüth eben so leicht pro matrimonio , damit er eine reiche Braut nicht verliehre / meineydig werden / als contra matrimonium schweren würde.

So erscheinet hieraus allenthalben so viel/ daß super promisso matrimonio die Eydes-Delation allerdings statt finde / da jedoch dem Beklagten/ so er nicht schweren wolte/ sein Gewissen mit Beweis zu vertreten/ oder auch pro matrimonio zurück zu schieben fren bleibt. V. R. W.

Eodem planè modo responderunt Jcti Wittenbergenses
M. Majo, 1712, & ejusmodi juramenti delationem
approbarunt.

C 3

Thesis XIX.

*Ubi præfle-
tur Juramen-
tum jud.*

Locum Juramenti præstandi, quod attinet personis egregiis, hoc privilegium indulget Jus Romanum, ut Domi jurent missis illuc deputatis. L. 15. ff. de Jurej. Mev. P. 3. Decis. 421. & seq. à quâ Juris dispositione discedit Praxis Saxonica, ubi etiam Comites & Barones in ipso Judicio Juramentum præstare tenentur, & hoc ipsis tantum remissum est, ne in Confessu totius Judicij jurent, sed in speciali conclavi in der Audienz, Stuben. vid. Ord. Proc tit. 18. §. 10. licet hoc non ita strictè observari, sed ex justâ causâ etiam domi Juramentum præstari posse fateatur. Carpz. Proc. tit. II. art. 3. n. 200. Stryk U. M. de Jurej §. 28.

Thesis XX.

*Effectus Ju-
ramenti de-
lati est, quod
regulariter
recusari ne-
queat.*

*Traduntur
exceptiones.*

Cœterum effectus Juramenti judicialis delatus non minimus est, cum plerumque exinde totius controversiæ finis & decisio dependeat, & quidem regulariter is, cui hoc Juramentum delatum id recusare nequit, nisi justa causa legibus comprobata id permittat. cap. fin. X. de Jurej. qualis est. I. Si defensio nolit de calumniâ jurare. L. 34. §. 4. ff. de Jurej. L. 37. eod. quod etiam in Saxoniam observatur, etsi enim ibi Juramentum calumniæ generale justis ex causis abrogatum sit, speciale tamen, quod alias malitia vocatur, usum suum ibidem adhuc habet, potissimum in casu præsenti, non secus ac Jure Romano, adeo, ut si adversarius de calumniâ jurare nolit, vel ad hoc citatus contumaciter absit, Juramentum delatum principale pro præstito vel remisso habeatur, L. 37. ff. de Jurej. Carpz.

Carpz. *P. 1. C. 12. Def. 23.* &^{28.} ad quod tamen calumniæ Juramentum non adstringuntur Parentes & Patroni, si liberis aut libertis Juramentum judiciale deferunt. *L. 16. f. de Jurej.* *L. 7. §. 3. f. de obseq. par.* *L. 13. §. 14. ff. de dam, inf.* Non obstante *L. 34. §. 4. ff. de Jurej.* cum enim utriusque legis nimis. *7. §. 3. ff. de obseq. par.* & hujus obstant. *34. §. 4. de Jurej.* idem auctor sit Ulpianus, & præsumendum non sit eundem à se ipso tam manifeste dissentire voluisse, placuit jam dudum Interpp. Lectionem hujus *L. 34.* non negativè, sed affirmativè amplectendam, Zœf. *ad f. de Jurej. n. 32.* quem favorem hoc in passu Parentes & Patroni habent, idem & domino feudi, si à vasallo conventus sit, attributus est. *2. f. 33. §. in quibus.* II. Si auctor Juramentum detulerit, ac postea revocaverit, nunc verò iterum desperatis aliis probationibus deferre velit. per expressi. text. in *L. 11. C. de R. C.* III. Si deferens potestatem deferendi non habeat *L. 35. §. 1. ff. de Jurej.* IV. Si factum alienum alicujus conscientiæ commissum. *L. 11. §. 2. ff. rer. amotar.* V. Si is cui delatum conscientiam suam probationibus defendere vel exonerare velit, wenn er sein Gewissen mit Beweis vertreten will. quod sicuti Jure Saxonico indubitatio licet eâ tamen conditione, ut intra octiduum ex lapsu decennii, à quo sententia transit in rem judicatam, ad id se offerat, nam alias, ubi jurandi facultas lapsu, octidui amissa est, wenn er sich an dem Eyde versäumet; simul amissa est die Gewissens-Bertretung *Const. Elec. Saxon. 14. ibique Carpzov. Def. 14. 17. & 23. Ordin. Process. Jud. Elec. Saxon. tit. 19.* ita etiam de Jure communi re-

cte

Etē hoc defendunt. Zœsius ad ff. de Jurej. n. 41. Franzk. ibid. n. 119. Lauterb. Colleg. ibid. §. 67. Bachov. ad Tr. V. i. D. 21. Th. 9. lit. D. Si enim, ut ex Cap. 2. X. de probation. constat, is, qui intentionem suam plenē probavit, Juramento non est onerandus, quomodo is, qui probare paratus est, Juramento onerari poterit? frustrā dissentiente Duarenco Hunn. ad Tr. V. i. D. 21. Th. 9. lit. D. modo tamen reus nondum acceptaverit Juramentum, nam hoc factō ad probationem confugere nequit, sed Jus quæsitum est actori ex acceptatione & consensu, Carpz. d. C. 14. Def. 15.

Thesis XXI.

Potest tamen etiam referri. Ex eo verò quod in thesi præcedenti in regulâ traditum, juramentum judiciale ab eo cui delatum est recusari non posse, vis præcisa illud suscipiendi aut solvendi neutquam consequitur, cùm illud referendi potestatem à lege sibi concessam habeat. L. 34 §. 6. & 7. L. 38 ff. de jurej. in tantum, ut referens de calumnia non jurare d. l. 34. §. 7. is verò cui refertur illud omnino præstare, & in Saxonia insuper de calumniâ jurare cogatur. Carpz. P. 1. Conſt. 14 Def. 5. unde nec sub hoc prætextu, quod intentionem suam aliter probare velit, illud recusare poterit. Carpz. D. C. 14. Def. 4. Mev. p. 3. Dec. 201. Heig. p. 1. q. 4. n. 37. Sed quid si reus, cui juramentum fuit delatum, in probationibus ad exonerandam conscientiam susceptis succumbat, eritne audiendus, si actori Jusjurandum referre velit? De Jure Saxonico illud ideo videtur negandum, quia ibi juramentum intra octiduum, quo alias citatio ad jurandum est impetranda, necessariò referri debet, unde

de ibi termino probationis elapsō , relationi locum non dari, in aperto est. Carpz. d. C. 14. Def. 19. & proc. Tit. II. Art. 5. n. 39. verum de jure communi affirmativa verior videtur , ille enim qui non acceptat juramentum , sed statim ad ordinariam probationem provocat, non recusat, sed illud in suspenso relinquit, ergo vel illud ipse adhuc præstare (quod Carpz. D.C. 14. Def. 18. & Stryk. U. M. de Jurej. §. 27. quoque admittunt) vel etiam referre poterit. Coccej. in Jur. Conzrov. de Jurejur. q. 29.

Thesis XXII.

Ceterum nonnulli existunt casus in quibus Jusjurandum referendi facultas non datur. (1) Si is cui delatum semel acceptaverit Juramentum , ulterius enim tunc relationi locus non est, sed illud præcisè præstandum, quia ab initio in arbitrio partis erat delatum Juramentum suscipere & acceptare, vel referre , quod vero ab initio fuit voluntatis, si acceptetur semel, posteā sit necessitatis. arg. L. 5. C. de O. & A. (2) Si Juramentum proprium respiciat illius factum cui delatum L. 11. §. 1. & seqq. junctā L. 12. & 13. ff. de act. rer. amot. ex quo etiam intelligi potest. Cap. fin. X. de Jurejur. ubi dicit pontifex , quod non licet convenit famosa actio non datur, nisi de facto rei proprio. Item (3) referri nequit Jusjurandum quod respicit factum tertii, cuius adversarius majorem habet notitiam quam deferens. Franz ad ff. de Jurejur. n. 112. Mev. p. 1. D. 161. (4) Excipiunt communiter DD. casum , si quis affirmanti matrimonium aut sponsalia, non admittitur.

D

Exceptiones,
ubi relatio

Juramenti

non habet

tocum : (1)

Exceptio (2)

Exceptio (3)

Exceptio (4)

non admitti-

tur.

falia , deferat Juramentum , tunc enim id tanquam contra matrimonium referri non posse , sed cuius valoris sit hæc exceptio , ex dictis superius ad Thesin 18. satis jam constat . Quid Jure Saxonico circa relationis materiam dicendum de eo vid . Carpz . p . 1 . Const . 14 . Def . 10 . & n . Stryk . U . M . de Jurejur . § . 24 .

Thesis XXIII.

*Cessante iu-
stâ recusatio-
ne aut rela-
tione , jura-
mentum su-
scipi debet.*

Quod si denique Juramentum judiciale nec ex justa quadam causâ recusari nec referri possit , illud necessario suscipi ac præstari debet , nisi ex parte deferentis remissio intervenerit , vel ut loquitur JCtus in L . 4 . ff . de Jurejur . gratia Jurisjurandi fiat , quæ facit , ut Juramentum pro præstito habeatur . L . 5 . § . fin . L . 6 . ff . eod . Ceteroquin si injustè quis illud non suscepit ac præstiterit , recusans pro confessio & convicto habetur , adeoque si reus est , commendatur , si actor , reus absolvitur . L . 34 . § . 6 . & fin . L . 38 . ff . de Jurejur .

*Intra quod
tempus susci-
pi debet.*

quoniam autem jure civili nullus sit juramenti præstationi terminus præfinitus , sed is sit à judice præfigendus , in Saxonia tamen is per expressas sanctiones determinatus est , hinc ibi duo , Juramentum suscepturus ac præstitorus observare debet , nam primum intra octo dies , à tempore lapsi descendii , quo sententia vires rei judicatae consecuta , computandos , ad præstationem juramenti se se offerre , citationemque impetrare , deinde intra terminum hoc est sex septimanæ , & tres dies Juramentum præstare debet . Carpzov . P . 1 . C . 12 . Def . 5 . & 6 . tam accuratè autem hoc octiduum ex tempore quo sententia in rem judicatam transit , computandum , in

in foro Saxonico observare oportet, ut anticipatio
oclidui, si nimirum quis ad Juramentum se offerre
velit, antequam decendum ex quo sententia vires
rei judicatae accepit, elapsum fuerit, faciat Juramen-
tum pro deserto haberi, *Ord. proc. jud. Elez. Saxon.*
Tit. 18, §. wann nun also Carpz. D. Con. 12. def. 11. si
tamen contra sententiam præstationem Juramenti in-
jungentem leuteratio vel appellatio opposita fuerit,
eā reje&tā vel remissa demum illud octiduum post
decendum currere incipit. *Carpz. d. C. 12. def. 9. § 10.*

Thesis XXIV.

Illud in foro non minus ac inter scholasticos, *Juramentum*
an Juramentum semel delatum aut relatum revoca-*delatum re-*
ri possit, saepe controvertitur, unde considerationis *vocari potest*
non inutilis erit, an & quousque ejusmodi revocatio *sub distin-*
permitta, paucis inquirere, in quā quæstione præ-*tione ta-*
termisis aliorum responsionibus omnino distinguere
oportet, an res integra sit, an non? *illo casu re-*
vocari potest, non hoc: res autem integra esse dici-
tut, quando actor reo Juramentum detulit, & hic
illud locum non habere contendit, quo casu actor,
antequam sententia desuper feratur, illud revocare
potest, per manifestum textum in *L. n. C. d. R. Cr.*
ubi habentur hæc formalia: *Si quis autem sacramen-*
tum intulerit, & hoc revocare maluerit, licere quidem ei
hoc facere, & alias probationes, si voluerit, præstare, ita
tamen ut hujusmodi licentia usque ad litis (quæ scili-
cet super delatione Juramenti, & an illa locum ha-
beat, inter partes orta est) tantummodo terminum ei
præstetur: post definitivam autem sententiam &c. (1.) Quan-
D 2 do

do adversarius nondum acceptavit Juramentum, neque ratione præstationis se declaraverit. Ratio est, quod neutro casu Jus quæsitum sit alteri, negotiumque imperfectum sit, & cum Juramenti delatio species sit transactionis, non potest effectum habere, nisi uterque consentiat. Ex quo rectè infertur, si reus vel acceptavit, vel retulit Juramentum delatum, vel per sententiam idei injunctum, adeoque res non amplius integra sit, tunc enim consensere & quasi transegere partes, ut lis mediante juramento delato & acceptato perimitur, quo ipso acceptanti deferentis voluntate Jus est quæsitum, quod ejus pœnitentiâ illi auferri nequit. Eodem plane modo se habet quoad reum, & juramentum ab ipso relatum; Nam & is relatum, antequam actor relationem acceptet, revocare poterit, quia & ei, cui refertur, Jus nondum quæsitum, nihilque ante ejus acceptationem adhuc actum videtur, negotiumque, quod mutuo consensu consistere debet, est imperfectum; pro qua sententiâ etiam facit d. L. II. C. de R. Cr. ubi in genere omnis is, qui Juramentum intulit, usque ad litis (qua scilicet super delatione disceptatur) terminum revocare potest. At secus est, si actor semel acceptavit relationem, nam tunc quasi contraxere partes, quod actor præstito juramento vincere debeat, proinde Jus quæsitum ex consensu reus revocatione suâ auferre non potest. Setser. de Jurament. L. 4. C. 7. n. 28. Umm. ad process. 14. n. 65. Struv. S. J. C. Exercit. 17. ib. 38. consentit Carpz. Part. I. Cons. 12. Def. 3. § 4. ubi hoc etiam in Saxonia ita procedere addit, ut ante Rei

Rei acceptationem , vel relationem actor Juramentum reo delatum etiam post præstitam guarandam & litem contestatam revocare possit. Quān mirē autem alias DD. hac in quæstione varient. vid. apud Mart. tit. 18. §. 2. n. 25. & seq. sed cū nostra opinio partim expressis textibus, partim verā juris ratione subnixa sit, meritò ei inhærendum. Conf. Coccej. in *Jure Controvers. de jure jur. q. 26.* & 30. Thesis XXV.

Nec hoc satis expeditum videtur inter Juris Interpp. An, si is, cui juramentum delatum, mortuus, hoc habeatur pro præstito ? Ubi iterum distinguen- Juramen- tum mortuo eo cui dela- dum ; si enim defunctus delatum suscepit, & se præ- tum, habetur stitum declaravit, nec in morā fuit præstandi, tunc pro præstito, habetur pro præstito , etsi præmoriatur : fecisse sub distin- enim videtur, per quem non stat, quo minus faciat. men. Thesis XXVI.

L. 39. ff. de R. J. quæ sententia usu fori est recepta, unde celebris enata practicorum regula , mortem esse loco juramenti. Mev. P. 4. Dec. 262. & P. 5. Dec. 46. Gail. Lib. 2. Obseru. 43. Stryk. Us. mod. de jurej. §. 42. Aliud autem est, si defunctus vel non declaravit animum, vel in mora fuit præstandi, tunc enim cessante regulâ d. L. 39. juramentum pro præstito neutiquam haberri potest ; Unde hoc in casu rectè sentiunt DD. alias dissentientes, inter quos Lauterb. in Colleg. de jurej. §. 70. ibique allegati. Jure tamen Saxonico singulariter constitutum est, ut priori casu hæredes jurent de credulitate. P. 1. C. 24. ibique Carpzov.

Thesis XXVI.

Si demum Jusjurandum præstitum vel remissum aut etiam injustè recusatum fuerit , ce-

D 3

dit

dit in legitimam ac plenam probationem, *L. II. c. 3 ff.*
de jurejur. unde conveniens sententia vel absolvatoria
 vel condemnatoria, prout negotii qualitas exiget,
 insequitur. *L. 34. §. ult. ff. eod.* Tantam autem vim ha-
 bet ejusmodi sententia, ut ab ea non detur appellatio. *L. 12. §. 1. &c. 3. C. de R. Cr.* Et causa jurejurando
 decisa ex novis probationibus non retractetur, sive
 actor in eodem, sive in alio judicio novâ actione in-
 stituta contrarium & jurante pejerasse probare ve-
 lit, atque id in tantum procedit, ut nec ad illud ex
 instrumentis de novo repertis probandum admittatur,
 cuius ratio manifesta in eo consistit, quod im-
 putare sibi debeat, qui adversarium in causa sua judi-
 cem constituerit, & cum Juramentum vim trans-
 actionis contineat *L. 2. ff. de jurejur.* eo præstito nihil
 aliud queratur, quam an Juramentum sit, remissa
 quæstione an debeatur. *L. f. § 2. ff. cod.* Casus exceptus
 & specialis est, in *L. fin. Cod. d. R. Cr.* quando nimis
 nondum cognitis tabulis testamenti legatarius jura-
 vit sibi legatum relictum vel fideicommissum, & po-
 stea prolatore testamento constet de veritate & perju-
 rium detegatur, tunc enim ibi Justinianus decidit,
 tale juramentum rescindi & retractari, quod ita spe-
 cialiter decisum favore ultimarum voluntatum, eo
 quod captiosum & improbum videatur Juramentum
 non visis tabulis præstitum. *Zcf. ad ff. de jurejur. n. 51.*
 objiciunt hic quidem nonnulli dissentientes hoc mo-
 do, si Juramentum ob novas probationes nequidem
 possit rescindi, perjurum ex suo delicto lucrum sen-
 tire contra *L. i. pr. ff. de dolo.* Verum responderetur non
 tam

tam ex perjurio , quam conventione secundum quam juratum , eum sentire commodum , & delator non potest dicere se esse deceptum , quia juxta regulam juris non fraudantur , qui sciunt & consentiunt L. 203 . ff. de reg. Jur. Nec obstat L. 31. ff. de jurejur. nam haec loquitur de Juramento necessario , quod detecto postea perjurio potest retractari . Ratio differentiae est , quod hoc non deferatur ex conventione , ut voluntarium , nec a parte litigante , sed a judice etiam parte invita , adeoque ipsi non debet nocere , si perjurium probare possit . Plura objicit & resolvit Hunn. ad Tr. de jurejur. q. 28. Zœf. ad ff. d. t. n. 49. & seqq. Eaque est communis sentia . Carpzv. P. 1. C. 15. def. 1. & seqq. Atque haec sunt , quæ pro quali quali Inauguralis Dissertationis themate in praesenti proponere volui , plura alia de hac materia differenda superfluisent , sed merito hic pedem figo , quia integrum tractatum conscribere nec temporis angustiae nec instituti ratio permittunt.

T A N T U M!

DEO TRIUNI LAUDES IMMORTALES.



P A R-

P A R E R G A:

- I. **A** Juramento, metu & vi iusta extorto, absolute vere potest superior.
- II. Is qui juravit, quod testamentum in alicujus favorem factum mutare nolit, non obstante Juramento validè mutare potest, non tamen licet si sine causa id faciat.
- III. Etiam jurata sponsalia dissolvi possunt, si pars, in cuius gratiam juratum est, Juramentum remittat.
- IV. Qui virginis invitae rapit osculum, injuriarum tenetur. *arg. L. 15. §. 21. f. de injuriis.*
- V. Transactio bonâ fide inita non rescinditur propter enormem lassionem ex *L. 2. Cod. de res. vend.* quod tamen aliter est in Saxonia per *Const. Elec. 34. p. 2.*
- VI. Qui virginis ficte promisit matrimonium, ut usum corporis haberet, tenetur eam ducere vi justitiæ, nisi ex circumstantiis puella jocosam promissionem colligere potuerit.
- VII. Conventio inter duos celebrata sub clausula: Beym Worte der ewigen Wahrheit, eodem modo obligat conscientiam ut formale juramentum, in casibus, ubi pro forma actus juramentum solenne non requiritur, inde sine impietatis nota ejusmodi conventio violari nequit. *Carpz. P. 2. C. 16. Def. 6. n. 10. & seqq.*
- IX. Qui vitulos pascendos conduxit, tanquam artifex conduxisse, & de imperitiâ, consequenter omni culpa teneri dicitur in *L. 9. §. 5. ff. locati.*
- IX. Fur rupto laqueo decidens ex patibulo, iterum suspensi debet.

Erfurt, Diss., 1718



vD 18
Sl.

Farbkarte #13

1718 9

S. D. G.

NL
19DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,
DE**JURE JURANDO
LITIS DECISORIO
JUDICIALI,**QVAM
DIVINA AUXILIANTE GRATIA,

ET

AMPLISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ,
IN ILLUSTRI AC PERANTIQVA ACADEMIA ELE-
CTORALI GERANA AUTORITATE ET CONSENSU,
SUB PRÆSIDIO

VIRI PRÆNOMIBILISSIMI ET CONSULTISSIMI

**DN. JOHANNIS HENRICI
MEIERI,**

JCTI,

ET ELECTORAT. HUJATIS REGIM. CONSILIARI, JUDICII PROVINCIAL.
ASSESSORIS PRIMARII, PROFESSOR. PUBL. DECRETALUM, NEC NON
FACULT. JURID. SENIORIS ET P.T. DECANI,
DOMINI PROMOTORIS OMNI OBSERVANTIA DEVENERANDI,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE

HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

RITE CONSECVENDI,

CHRISTOPH FRIEDRICH CHEMNITIUS,
LÜBNIZENS. SAXO,

ET JUR. PRACT. BELZIGIENSIS,

PUBLICÆ AC SOLENNI ERUDITORUM DISCEPΤATIONI,

In Auditorio JCtorum Majori exponet,

AD DIEM XXV. FEBRUAR. ANNO M DCC XVIII.

HORIS CONSVENTIS.

ERFORDIE, Typis JOH. HENRICI GROSCHII, Acad. Typogr.